



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Vnde veniat causa nobis istius veri cultus Dei atque possibilitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

4 CATECH. C. CLING.

teri fructus Spiritus Sancti Galat. 5. referuntur, Pax, gaudium, misericordia, charitas, humilitas, patiētia, castitas mentis, & id genus alia, iustitia, timor à peccato, omnia illa nascuntur & pendent à predictis motibus, qui sunt iustitia corā Deo. Sine illis exterior cultus parūm proderit, sed simulatio potius est, & in illū finem dicitur, quia traditiones humanę nō sunt corā Deo iustitia, sed fides, timor, dilectio, &c.

3. Venit autem nobis vera fides atq; dilectio, & timor cordis, cū per terrefacti agnitione peccatorū nostrorum, audimus per Euangelium nobis donari remissionem peccatorum propter filiū Dei Iesum Christum, qui pro nobis factus est victimā, Esa 53. Hac cō solatione eriguntur mentes, & incipiunt credere & confidere Deo, quod sit nobis propitius. Agnoscent eius misericordiam, & statuunt nos respici, nos exaudiiri, ideo incipiunt eum diligere, agnoscent Christi beneficium, & verè incipiunt timere Deum, ne sint ingratiani, & offendant tam pium patrem & redemptorem. Sic enim peruenitur ad veros illos cordis motus erga Deum, scilicet fidei, timoris & dilectionis. Non enim possunt corda humana Deo credere, non sentiunt se exaudiiri, non diligunt Deum, nisi prius intelligent Deum esse placatum per Christū, qui factus est ^{Ex nobis} victimā, propter quā accipimus gratiam & misericordiam: ideo hoc certissimē credunt, & incipiunt Deū timere & diligere. Et Spiritus Sanctus datur per fidem, qui suos fructus perficit in nobis, Gal. 5. vt verè credamus, diligamus & timeamus Deum. Natura enim nostra non potest ex se ipso formare veram fidem, dilectionem & timorem.

Deinde, postquam filii facti sumus fidei, Ioann. 1. & postquam agnouimus Christum, tunc ex dilectione incipiimus facere legem & bona opera: Non enim potest recte fieri lex aut opus bonū, nisi agnito Christo.

sto Hæc agnitione generat dilectionem, Et dilectio facit legem. Fides agnoscit beneficium Christi, & incipit diligere benefactorem Christum & Deum patrem, & dilectio in gratiarum actionem facit legem. Ideò dicit Apostolus Rom. 10. Impletio legis est Christus, & Roman. 3, Lex stabilitur aut statuitur per fidem: causa igitur fidei veræ & dilectionis & timoris, est agnitione Christi: illa inchoat legem, & facit bona opera quæ Deo placent, et si polluta carne sunt, quia persona iam fide in Christum ante opus iustificata est: Ideò & placent nunc opera, & sua habent præmia accidentalia in hac & post hanc vitam. 1. Corint. 3. Vnusquisque mercedem accipiet, scilicet secundum suum laborem. Essentialis præmium quod Christus nobis meruit, tenet fides & habet. Agnitione igitur & fides Christi, impetrat gratiam, auxilium, & virtutem seruandi legem & faciend: bona opera.

CAPV T I I.

ARGUMENTA.

1. Quid sit lex Decalogi.
 2. Quae sint officia legis.
 3. De præmio arg, pœnis leg.

Dicitur. Rimò lex est doctrina, quæ docet quæles nos esse oporteat, & quæ opera a nobis requirat Deus: & requirit perfecta obedientia, & damnat eos, qui non obediunt. Si Christus quæsivit à Legisperito Luce 10. In tge quid scriptum est? quomodo legis? Deuter. 6. Respondebit, Diliges Dominum Deum tuum ex isto corde tuo &c. Et Deuter. 27. Maledictus qui non permaneat in sermonibus Legis huius. Sic Lex docet, quæ fecere debemus: & damnat, si non fecerimus. Sed cum nemo legi Dei satisfaciat propter immanditiam eius, quomodo effugimus